



PAENITENTIARIA APOSTOLICA

Prot. N. 1270/18/I

DECRETUM


PAENITENTIARIA APOSTOLICA, ad augendam fidelium religionem animarumque salutem, vi facultatum sibi specialissimo modo a Sanctissimo in Christo Patre et Domino Nostro, Domino Francisco Divina Providentia Papa tributarum, attentis precibus nuper allatis ab Exc.mo Domino Aloisio Renzo, Episcopo Miletensi-Nicotriensi-Tropiensi, in iubilaeo Venerabilis Francisci Mottola, fundatoris Familiae Oblatorum et Oblatarum a Sacr.mo Corde Iesu, de caelestibus Ecclesiae thesauris benigne concedit *plenariam Indulgentiam*, suetis sub conditionibus (sacramentali Confessione, eucharistica Communionem et orationem ad mentem Summi Pontificis) ab Oblatis et omnibus christifidelibus vere paenitentibus atque caritate compulsis, a die I Ianuarii usque ad diem XXXI Decembris MMXIX lucranda, quam etiam animabus fidelium in Purgatorio detentis per modum suffragii applicare possint, si Tropiensem Concathedralem ecclesiam in forma peregrinationis inviserint et ibi iubilariis ritibus peculiaribusque circumstantiis, ut in supplicibus litteris nuper porrectis, devote interfuerint vel saltem coram Venerabilis exuvias per congruum temporis spatium piis vacaverint considerationibus, concludendis Oratione Dominica, Symbolo Fidei, necnon invocationibus Beatissimae Virginis Mariae et Venerabilis Francisci Mottola.

Senes, infirmi, omnesque qui gravi causa domo exire nequeunt, pariter *plenariam* consequi poterunt *Indulgentiam*, concepta detestatione cuiusque peccati et intentione praestandi, ubi primum licuerit, tres consuetas condiciones, si iubilariis celebrationibus se spiritaliter adiunxerint, precibus doloribusque suis vel incommodis propriae vitae misericordiam Deo oblatis.

Quo igitur accessus, ad divinam veniam per Ecclesiae claves consequendam, facilius pro pastoralis caritate evadat, haec Paenitentia enixe rogat ut sacerdotes opportunis facultatibus ad confessiones excipiendas praediti, prompto et generoso animo, celebrationi Paenitentiae sese praebeant.

Praesenti totum per iubilaeum Venerabilis Francisci Mottola valituro. Non obstantibus in contrarium facientibus quibuscumque.

Datum Romae, ex aedibus Paenitentiae Apostolicae, die XX mensis Decembris, anno Domini MMXVIII.


MAURUS Card. PIACENZA
Paenitentiaris Maior


CHRISTOPHORUS NYKIEL
Regens



PAENITENTIARIA APOSTOLICA

Prot. N. 1271/18/I

DECRETUM

PAENITENTIARIA APOSTOLICA, vi facultatum sibi specialissimo modo a Sanctissimo in Christo Patre et Domino Nostro, Domino Francisco Divina Providentia Papa tributarum, Exc.mo ac Rev.mo Patri Domino Aloisio Renzo, Episcopo Miletensi-Nicotriensi-Tropiensi, benigne concedit ut, in iubilari Venerabilis Francisci Mottola anno, die pro fidelium utilitate eligendo, post litatum divinum Sacrificium, impertiat omnibus christifidelibus adstantibus, qui vere paenitentes atque caritate compulsi iisdem sacris interfuerint, **papalem Benedictionem** cum adnexa *plenaria Indulgentia*, suetis sub condicionibus (sacramentali Confessione, eucharistica Communionem et Orationem ad mentem Summi Pontificis) lucranda.

Christifideles qui **papalem Benedictionem** devote acceperint, etsi, rationabili circumstantia, sacris ritibus physice non adfuerint, dummodo ritus ipsos, dum peraguntur, ope instrumenti televisifici vel radio-phonici propagatos pia mentis intentione secuti fuerint, *plenariam Indulgentiam*, ad normam iuris, consequi valebunt.

Contrariis quibuslibet non obstantibus.

Datum Romae, ex aedibus Paenitentiariae Apostolicae, die XX mensis Decembris, anno Domini MMXVIII.

Maurus Card. Piacenza
MAURUS Card. PIACENZA
Paenitentiarius Maior

Christophorus Nykiel
CHRISTOPHORUS NYKIEL
Regens